

Johannes Assuerus Ampzing

## **Programma In Natalem Veri Messiae Dn. nostri Jesu Christi**

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734595328>**

Druck Freier  Zugang



RU. Progr. 1626

1) Thomas Lindemann

2) Johannes Asswers Progr.



Programma  
IN  
NATALEM  
VERI MESSIÆ

Dn. nostri  
JESU CHRISTI.



ROSTOCHI  
*Literis JOACHIMI PEDANI,*

---

ANNO M. DC. XXVI.

RECTOR  
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
JOHANNES ASSVERUS

Ampfingus Transilulanus Med. D. & Prof.

**R**ersonat hodierni dici festum vocibus angelorum & hominum: æquum fuerit ut & nos pro modulo nostro, ex officio, Ecclesię accinamus, & cives Academicos ad recens nato Salvatore acclamandum & homagiū præstādū invitem? Scio hinc nō sufficere eloquentiā neq; angelorum neq; hominū. Ego homuncio quid faciam? Si loqui non potero: saltem balbutiam & cum Psalte Ps. 104, 33. canam Jehovam dum vivam, & Deum meum donec ero: modò illi mea non dipliceat oratio. Pro thēmate dicendi mihi erit locus Esaiæ c. 9. v. 6. *Quia puer natus est nobis; filius datus est nobis. Et constitutus est Principatus super humerum ejus: Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater seculi, Princeps pacis.*

Propheta Esaias socer Manassis, stirpe regia ortus, quippe filius *Amoz*, qui creditur fuisse frater *Azaria* regis Juda, prophetavit plusquam 64. annos sub quinque regibus Juda, *Ufia, Joatban, Achas, Hiskia, Manasse*, qui eum interfecit. Constat autem ex historia sacra, quantis cladi- bus Dei populum subinde affecerint reges primæ Monarchiæ, quæ vicissim nunc apud Babylonios, nunc apud Assyrios fuit usq; ad tempora *Cyri*, qui primus Persarum Monarchiam constituit. Servijt ad hoc illis situs & oportunitas locorum. Nam inspicienti tabulas Cosmographicas patet terram Canaan veluti in medio seu medietate potentissimorum regnorum positam fuisse, & veluti cinctam undique gentibus & populis bellicosis *Assyrijs, Chaldeis, Babylonijs, Persis, Egyptijs, &c.* Belos

*Belochus*, quem Scriptura *Pbul* appellat, post mortem *Sardanapali* primus Assyriorum in nova Monarchia Imperator, *Manabem* regem Israëlis vectigalem sibi fecit, qui ipsi dedit mille argenti talenta, 4. Reg. 15. Ei successit *Pbul Assur* cognomento *Tiglath Pileffer*, qui urbes aliquot Judææ cepit & populum in Assyrios captivum abduxit 4. Reg. 15. Hunc ipsum *Tiglath Acha* rex Judæ, sub quo vixit hic noster propheta *Esaïas*, de auxilijs interpellavit adversus regem Syriæ eiq; dona misit, 4. Reg. 16. *Tiglath* regem secutus est *Salmanasser*, qui Samariam urbem, post trium annorum obsidionem cepit, & *Hoseam* regem Israël, unaq; populum abduxit, 4. Reg. 17. Eum excepit *Sennacherib*, qui Niniven urbem inhabitavit. *Hiskiam* regem Judæ mulctavit pecunijs, ac deinde cum ingenti exercitu Hierosolymam obsedit, & missis legatis populum ad defectionem hortabatur, & regem qui auxilium à suo Deo speraret, irridebat; sed non tulit impune: nam percutiente angelo Dei, desideravit una nocte ad centum octoginta quinque hominum millia: quod *Hiskia* regi paulo ante per *Esaïam* Deus confirmaverat: deinde domum reversus, à suis ipse liberis fuit interfectus, 4. Reg. 18. & 19. capitibus. Huc usq; *Babylonij* post debellatum *Sardanapalum* Assyrijs paruerunt. Sed à morte *Sennacherib* Monarchia ab Assyrijs ad *Babylonios* redijt, & apud eos mansit usq; ad tempora *Cyri* Persarum regis.

Nam cum *Sennacherib*, tantam, ut dixi, calamitatem ad Hierosolymam accepisset, neq; multo post à suis filijs esset trucidatus: magna fuit insecta rerum mutatio, & divisum est regnum. Etenim qui eadem fecerant duo fratres *Adramelech* & *Sarasar* profugerunt quidem, sed nihilo minus vim & arma pararunt in fratrem *Affradde*.

*raddonem*, qui post necem parentis regnum occupaverat. Hanc adeptus occasionem rei bene gerendæ *Merodach Babylonie præfectus*, descivit, & indicto bello, cum vicinas undiq̃ gentes, partim gratiâ, partim vi paulatim ad se traduceret, duodecimo demum anno sui regni, devicto *Afferaddone*, totum Assyriorum Imperium Babylonijs adjunxit & 40. post annis regnavit. Ab hoc *Merodach Sleidanus* proximum numerat *Nebucadnezarem*. Is ergo statim à primis annis bellum fecit *Ægyptijs*, & regionem omnem quæ est inde ab Euphrate usq; ad Pelusium, illis ademitt: *Joachim* regem Juda victigalem sibi fecit, & octavo sui regni anno filium *Jechoniam* regem una cum præcipuis viris & artificibus, non tantum urbis Hierosolymæ, sed totius quoq; regionis, Babylonem captivos abduxit.

Notabiles sunt historiæ quas adduxi, quibus si aliæ adjungantur quæ in libris Judicum & Regum describuntur, habebimus ad oculos demonstratam veritatem capituli 26. Levitici & 28. Deuteronomij, quibus Dominus minatur se graviter ulturum inobedientiam populi sui; Sed longo intervallo illas omnes clades superat. Captivitas Babylonica 70 annorum, cujus author fuit, hic idem noster *Nebucadnezar*, Ille enim anno 18. sui regni Hierosolymam obsessam per biennium, cepit, ac paulo post diripuit, incendit, muros diruit, potissimam populi partem captivam abduxit, regem *Zedechiam* exoculavit, filios illius atq; proceres interfecit. Quæ quidem Historia describitur, 4. Reg. 24 & 25. capitibus, tum etiam 2. Paral. 36. Hæc Captivitas duravit usq; ad *Cyrum*, primū secundæ Monarchiæ, quæ Persarum fuit, Imperatorem: qui Captivum populum dimisit, deditq; ei libertatē redeundi Hierosolymam. Quanto verò hæc Captivitas fuit

atro-

atrocior; tanto etiam liberatio ex illa fuit illustrior. Hinc adeò factum est, ut Prophetæ eam ferè extendant ad tempora Christi, & quia ea Captivitas veluti typus quidam fuit nostræ captivitatis sub regno peccati, & liberatio ex illa captivitate, adumbratio quædam nostræ liberationis & redemptionis per Christum partæ: ideo solent ferè Prophetæ utramq; conjungere, & uno eodemq; contextu de utraqve loqui. Sicut videmus Matth. 4, 15. ubi Evangelista hunc locum ad Christum accommodat, quam quidem accommodationem doctissimi Bibliorum interpretes Tremellius & Junius suis in hunc locum annotationibus luculenter explanarunt. Oportet me filium, hoc abrumpere ut de proposito themate non nihil dicā.

*Puer natus est nobis, Filius datus est nobis.* Est descriptio personæ Christi Messia & Redemptoris nostri, qui non Gideon aliquis fuit, non Simson, non Cores seu Cyrus, sed æternus æterni Dei & Mariæ filius, qui nō Madianitas, non Philistæos devicit, sed peccatum & Draconem illum infernalem, qui nos eripuit ex captivitate non Tiglab Pitefferis, non Salmanassaris, non Sennacherib (ad hunc enim refero captivitatem Manassis 4. Reg. 21. & 2. Paral. 33.) non deniq; Nebucadnezaris, sed qui, canente Zacharia Luc. 1. nos servavit ex inimicis nostris, & è manu omnium qui oderunt nos, dedidit nobis ut sine metu, è manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi cum sanctitate & justitia, in ipsius conspectu, cunctos dies vitæ nostræ. Angelus Dei exercitum Sennacherib delevit, cæciditq; una nocte centum octoginta quinq; millia, 4. Reg. 19. At verò nullus erat angelorum qui cedere hostes nostros posset, & nos liberare de manu inimicorum nostrorum, filio Dei opus erat. Atqui homo peccaverat, eratq; justum ut hominis culpam homo lueret, & iram Dei sustinendo pro hominis peccato Divinæ justitiæ satisficeret, id verò præstare nemo homo poterat. Itaq; filium Dei de cælo descendere oportebat & hominem fieri, ut idem Deus & homo, hominem Deo reconciliaret. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Joan. 1, 14 Unde Nycæna Synodus, Credo in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia secula:



*Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis: & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria virgine, & homo factus est.*

Verba illa *Natus & Datus nobis*. valde sunt emphatica & multum habent in recessu. Arguunt n. immensum Dei erga nos amorem. *Gratia*, inquit Apostolus Eph. 2. 8. *servati estis perfidem, idq; non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret &c. Joh. 3.* Et alibi. *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris, .1. Joh. 4. 10.* Et Paulus. *Commendat suam charitatem ergo nos Deus, quod cum adhuc peccatores & inimici essemus, Christus pro nobis adhuc impijs mortuus sit. Rom. 5.* Quando se assimilat matri miserescenti super filium uteri sui, & gallinæ colligenti pullos suos sub alas annon: summum eumque intimum & tenerrimum amorem erga nos suum declarat. ? *Es. 49. & Matth. 23.* Hinc de rebus cæteris facile est iudicium. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: quomodo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?* Rom. 8. 32. Circumferamus oculos per hoc universum mundi aspectabilis theatrum, & colligamus amoris divini erga nos argumenta. Videte in primis terræ nascentia, arbores, frutices, herbas, gramina, flores, fructus, omne genus segetes, & frumenta, tum deinde animantia terrestria, omne genus ferarum, & volucrium cæli. Annon omnia comparata sunt ad inserviendum usibus hominum? Deinde mare ingredi mini, & considerate innumera genera piscium, quæ quotannis suis quæq; temporibus diversis, sese offerunt capienda hominibus, ut nihil dicam de alijs mari innascentibus, Et ipsum maris elementum sulcandum sese offert navigationibus & commercijs hominum. Quibus ipsi quoque venti sese accommodant, & nubes & tota regio aerea, suntque omnia comparata & huc directa ut inferiora hæc vegetent, ut *esca sit omni carni & jumentis, & ipsis adeo pullis corporum invocantibus eum.* Huc etiam vires suas confert regio superelementaris omnis, tum Planetarum, tum ætherea. Luna est veluti ancilla quæ aquam ministrat rebus elementaribus. Sol est veluti servus rerum inferiorum omnium, qui de mane surgens omnes à somno expergisci jubet, & rebus agendis facem & lucem præfert. Cæteris quoque astris suum est singulis officium, quæ non modo sapientiam poten-

potentiam & gloriam sed etiam amorem Dei erga hominem declarant & enarrant, Id quod divinus psaltes docet tum passim, tum Ps. 8 & 104. & 148 & 150. Videam9 etiam atq; etiā fratres Christiani, ne, si cum Judæis & Israelitis tanta beneficia quibus ad amandum Deum impelli debebamus veluti somno consopiti, neglectui habeamus, aliquis à Deo excitatus Phulasser aut Tiglath Pilesser aut Salmanasser, aut Sennacherib, aut Nebucadnezar istum nobis vetternum intempstivè excutiat.

Postquam Propheta personam Messia Dei & hominis descripsit: transit ad ejus officia & beneficia describenda *Et constitutus est,* inquit, *principatus super humerum ejus.* Dixerat versu 4. de jugo Tyrannorum quos supra nominavi. Tyrannorum ergo jugo opponit principatum Christi. Ille est qui dixit. *Ecce vobiscum sum usq; ad consummationem seculi, Mibi est data omnis potestas in cælo & in terra.* Ille est angelus fœderis qui Israelitis præcessit interdum in columna nubis, noctu in columna ignis, Ille est qui. Sydrach, Mesach & Abednego in fornace ignis & Daniele in spelunca leonum tuitus est. Ille est qui dixit. Esa. 43. 2. *Noli timere quia redemi te, & vocavi te nomine tuo, meus es tu. Cum transferis per aquas, tecum ero & flumina non operient te, cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Ille est qui tot martyrum millia in media morte consolatus est. Dicit ipse Joh. 16. 33. *In mundo oppressionē habebitis sed mox addit Confidite ego vici mundū.* Nō est a. Christi fidelibus persecutio & afflictio dūtaxat à Tyrannis & hominibus, verū ipse etiā Diabolus qui nos circuit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret 1. Pet. 5. 8. & spirituales nequitia illis bellum indixerunt. His ergo etiam Christi Messia Principatus vel maxime opponendus. Inquit Apostolus Eph. 6. 12. *non esse nobis luctam adversus sanguinem & carnem,* id est homines, *sed adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales nequitas in sublimi.* Petrum cribrare sicut triticū expetebat Satanas Luc. 22. 31. Paulum colaphizabat angelus Satanæ 2. Cor. 12. 7. super hoc ter Dominū rogaverat ut à se abscederet sed responsum acceperat. *Sufficit tibi gratia mea & c.* Tertia pugna fidelibus est cum voluptatibus carnis. *Hoc autem dico,* ait Apostolus. *Spiritu incedite & quod concupiscit caro, ne perficite. Nam caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem* Gallat. 5. 16. Et cap. 6. 8. *Qui seminat carni suæ: ex carne metet interitum, qui vero seminat spiritus ex spiritu metet vitā aternā.* Itaq; hisce etiam tentationibus Principa-

cipatus Christi est opponendus, dicente Paulo Rom. 8. 11. *Si Spiritus ejus qui excitavit Jesum à mortuis habitat in vobis: is qui excitavit Christum ex mortuis: vivificabit etiam mortalia corpora vestra, per inhabitantem ejus spiritum in vobis.* Et c. 6. *Sepulti sumus unà cum eo per Baptismum in mortem: ut sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam patriæ: ita & nos in novitate vitæ ambulemus &c. Ne regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis peccato incupiditatibus corporis, neq; sistite membra vestra arma injustitiæ peccato, sed sistite vos Deo ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo.* Deniq; ut finem tandem faciam Lucta conscientiæ & metus æternæ mortis omnium gravissimè sæpe ipsos etiam electos terret & tantum non ad desperationem adigit, cujus exemplum habetur tum alibi tum psalmo 88. Hic maximè opus est principatu Christi Mediatoris qui nō patitur oves suas sibi de manu rapi. Joan. 10. 28. Simson civitatis Gasa portas ferreas portavit super humerum, Christus super humerum portavit portas Inferorum, portavit super humerum ipse suam crucem, & in cruce portavit agnus ille niveus & immaculatus peccata nostra. *Quis nos separabit à charitate Christi? num oppressio, num angustia, num persecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? Imò in his omnibus plusquam vidtores sumus per eum qui dilexit nos. Nā mihi persuasum est, neq; mortem, neq; vitā, neq; angelos, neq; principatus, neq; potestates, neq; instātia, neq; futura, neq; sublimitatē, neq; profunditatē, neq; ullam rē aliam creāturā posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro Rō. 8.*

Videō me ampliorem cepisse materiam quam ut finibus program-  
matis coerceri possit: reliquam ergo propositi Thematis partem  
vel omnino omitto vel in aliud tempus differo. Nunc ad vos cives  
Academici. Adventat ad nos in carne Messias noster, ei obviam pro-  
cedamus, & adventum gratulemur cum tota Ecclesia, acclamemus  
illi hymnis congratulatorijs & homagium præstemus. *Si quis n. non  
amat Dominum Jesum Christum: sit anathema Maranatha. 1. Cor. 16.  
22.* colamus temperantiam & veram sinceramq; vitæ sanctimoniā  
sine qua nemo Deum videbit Heb. 12. 14. ut Verbum caro factum,  
habitet in nobis. Studiosi Juvenes abstineant à computationibus  
& Cyclopicis clamoribus, sint pij & pietatem factis testentur. Nul-  
lus dubito quin illi qui generosiores sunt & peccus gerunt vera pie-  
tate imbutum, ultrò facturi sint quod peto. Alijs, qui Studiosorum  
nomen non merentur, de voluntate R. Concilij edico, nisi se ges-  
serint juramento suo conformes, fore ut R. Concilium seriò in-  
illos animadvertat. P. P. Rostochi 25. Decemb. Anno 1626.





potentiam & gloriam sed etiam autorem I  
 clarant & enarrant, Id quod divinus psaltes c  
 Pf. 8 & 104. & 148 & 150. Videam9 etiam atq;  
 ne, si cum Judæis & Israelitis tanta beneficia  
 Deum impelli debebamus veluti somno ce  
 beamus, aliquis à Deo excitatus Phulasser au  
 Salmanasser, aut Sennacherib, aut Nebucat  
 ternum intempestivè excutiat.

Postquam Propheta personam Messia  
 psit: transit ad ejus officia & beneficia descri  
 inquit, *principatus super humerum ejus*. Dixit  
 rannorum quos supra nominavi. Tyrannor  
 principatum Christi. Ille est qui dixit. *Ecce v  
 summationem seculi, Mihi est data omnis pote*  
 Ille est angelus foederis qui Israelitas præcel  
 na nubis, noctu in columna ignis, Ille est q  
 Abednego in fornace ignis & Daniele in i  
 est. Ille est qui dixit. Esa. 43. 2. *Noli timere q  
 te nomine tuo, meus est tu. Cum transferis per  
 mina non operient te, cum ambulaveris in igne,  
 ma non ardebit in te*. Ille est qui tot martyrum  
 consolatus est. Dicit ipse Joh. 16. 33. *In mundo*  
 mox addit. *Confidite ego vici mundū*. Nō est a  
 cutio & afflictio dūtaxat à Tyrannis & homin  
 bolus qui nos circuit tanquam leo rugiens,  
 1. Pet. 5. 8. & spirituales nequitia illis bellu  
 etiam Christi Messia Principatus vel maxim  
 Apostolus Eph. 6. 12. *non esse nobis luctam ad  
 nem*, id est homines, *sed adversus imperia, ad  
 mundi dominos, rectores tenebrarum s  
 spirituales nequitias in sublimi*. Petrum cribra  
 bat Satanus Luc. 22. 31. Paulum colaphizabat  
 12. 7. super hoc ter Dominū rogaverat ut à se  
 sum acceperat. *Sufficit tibi gratia mea &c*. Te  
 cum voluptatibus carnis. *Hoc autem dico, a  
 cedite & quod concupiscit caro, ne persequite. D  
 versus Spiritum, & Spiritus adversus carnem G  
 Qui seminat carni suæ: ex carne metet interi  
 ritus ex spiritu metet vitā aeternā*. Itaq; hisce et

nem de  
 im, tum  
 ristiani,  
 andum  
 ectui ha  
 effer aut  
 obis ve  
  
 s descri  
 titus est  
 ugo Ty  
 opponit  
 ad con  
 terra  
 colum  
 esach &  
 m tuitus  
 & vocavi  
 ero & flu  
 & flama  
 ia morte  
 ebitis sed  
 us perfe  
 etiā Dia  
 voret  
 His ergo  
 is. Inquit  
 m & car  
 , adversus  
 adversus  
 i expete  
 æ 2. Cor.  
 i respon  
 elibus est  
 Spiritu in  
 ipiscit ad  
 cap. 6. 8.  
 minat spi  
 bus Prin  
 cipa

